

PARS TERTIA.

REAGENTIA ET TABULÆ VARIÆ.

REAGENTIA

quibus Pharmacopola ad exploranda medicamina indiget.

Ea quorum præparatio in secunda parte Codicis exposita est, nomine tantum indicantur.

ACETAS PLUMBI SOLUTUS.

Paretur cum acetatis plumbi depurati parte una et aquæ destillatæ partibus novem.

Sit limpidus, nec turbetur acido carbonico; quod si fiat, paulisper acidi acetici adde ut oxydum plumbi non prævaleat. Liquore ferro-cyanureti potassii præcipitatum albisimum edat.

SUB-ACETAS PLUMBI SOLUTUS.

Sub-Acetas plumbi liquidus cum aquæ destillatæ quadruplo diluatur; liquor filtratus in vasis apte clausis servandus.

ACIDUM ACETICUM CONCENTRATUM.

ACIDUM CHLORHYDRICUM.

ACIDUM IODICUM.

Iodium pulveratum cum decuplo acidi nitrici pond. spec. 4,50 (1) in vase vitreo colli longioris, leni calore coque, vas sæpius movendo ut iodum sublimatum eluatur e parietibus. Quum iodum evanuerit, liquorem fere ad siccum evapora, et residuum aqua fervida solutum filtratum.

(1) Si acidum nitricum hujus densitatis deficit, paretur destillando leni calore acidum 40° cum quintuplo acidi sulphurici concentrati, cavendo ne destillatio, calore supra 130°, instituat. Obtinetur quoque acidum nitricum pond. spec. 4,50, si nitræ potassæ bene siccatus cum pari pondere acidi sulphurici concentrati destilletur.

que, tum evaporatione tum refrigeratione, in crystallos redige, quas, si opus est, iterata crystallisatione depures.

Crystallos exhibet albas, splendentes, saporis peracidi et styptici, in aqua facile, ægre autem in alcohole solubiles. Solutio aquosa, addito sale quodam Morphinae, colorem ex Iodio assumit fuscum, qui, affusa aqua Amyli, in cæruleum vertit.

ACIDUM NITRICUM PURUM.

ACIDUM SULPHO-HYDRICUM LIQUIDUM.

Sit hyalinum, odoris fortis hepatici; ab affusa aqua chlori lactescat.

ACIDUM SULPHURICUM DESTILLATUM.

ACIDUM TANNICUM.

Solutio hujus acidi recens ad alcaloïdea vegetabilia necnon ad albumina gelatinamque præcipitanda præcipue inservit.

ACIDUM TARTARICUM.

In alcoholis rectificati pondere triplo solutum ad potassam præcipitandam adhibetur.

AETHER.

Bromium necnon bi-Chloruretum Hydrargyri ab aqua separat.

ALCOHOL RECTIFICATISSIMUS.

AMMONIA LIQUIDA.

AQUA AMYLI.

Amylum Solani tuberosi cum aquæ destillatæ centuplo coquatur per horæ quadrantem, dein filtretur. Paretur ex tempore.

AQUA CALCIS.

AQUA CHLORI.

CARBONAS AMMONIÆ SOLUTUS.

Carbonatis ammoniæ puri pars una solvatur in aquæ destillatæ partibus novem et liquor filtratus in vase clauso servetur.

CARBONAS SODÆ SOLUTUS.

Cum carbonatis sodæ depurati parte una et aquæ destillatæ partibus quatuor paretur.

Cave ne sulphuretum aut hyposulphitem sodicum contineat.

BI-CARBONAS SODÆ SOLUTUS.

Paretur cum bi-carbonatis sodæ parte una et aquæ destillatæ partibus novem. In vasis probe clausis servetur.

Ad salia Magnesiæ a salibus Calcis et Aluminis discernenda adhiberi potest.

CHARTA EXPLORATORIA CÆRULEA.

Lacca Musci pulverata cum aquæ destillatæ sextuplo infundatur per viginti quatuor horas, vas interdum agitando. Liquore filtrato illinantur segmenta chartæ albissimæ, ita quidem ut non nimio colore saturata sint; quæ, suspensione in aëre siccata, in vitris obturatis et loco obscuro servantur.

CHARTA EXPLORATORIA CÆRULEA RUBEFACATA.

Charta exploratoria cærulea immergatur aquæ centesima circiter parte acidi chlorhydrici diluti acidulatæ, ita ut colorem rubrum induat; dein siccata servetur in vase clauso.

CHARTA EXPLORATORIA LUTEA.

Radix Curcumæ concisa digeratur cum aquæ destillatæ fervidæ sextuplo, per horas tres. Liquore filtrato illinantur papyri ut supra, et loco obscuro servantur.

CHLORURETUM BARYI SOLUTUM.

Cum chlorureti baryi parte una et aquæ destillatæ partibus novem paretur.

SESQUI-CHLORURETUM FERRI SOLUTUM.

Cum sesqui-chlorureti ferri parte una et aquæ destillatæ partibus novem parandum.

Morphinæ acidisque tannico et succinico detegendis præcipue inservit.

BI-CHLORURETUM HYDRARGYRI SOLUTUM.

Paretur cum bi-chlorureti parte una et aquæ destillatæ partibus viginti quatuor.

PER-CHLORURETUM PLATINI.

R. Platini quantum libet.

Acidi nitro-chlorhydrici quantum sufficit.

Solve calide; tum fere ad siccum evapora et residuum cum aquæ destillatæ partibus viginti dilue.

BI-CHROMAS POTASSÆ.

Præparatum officinarum chemicarum.

Crystallos exhibet obscure rubras, in aqua facile solubiles; nova crystallisatione sunt depurandæ. Solutio hujus salis aquosa liquore nitratis barytæ præcipitatum edat quod, affuso acido nitrico, perfecte solvitur.

FERRO-CYANURETUM POTASSII SOLUTUM.

Ferro-cyanureti potassii depurati pars una solvatur in aquæ destillatæ partibus novem.

Liquor filtratus sit limpidus; liquore chlorureti baryi non turbetur; præcipitatum nitrate argenti productum in acido nitrico sit solubile.

IODURETUM POTASSII SOLUTUM.

Paretur cum iodureti potassii parte una et aquæ destillatæ partibus quatuor.

Cave ne carbonatem potassæ aut chloruretum potassii contineat.

IODURETUM POTASSII IODATUM SOLUTUM.

Iodureti potassii pars una et iodii pars quoque una solvantur in aquæ destillatæ partibus quinquaginta.

Solutio filtrata ad alcaloidea vegetabilia investiganda adhibetur.

LIQUOR IODURETI POTASSII CHLOROMETRICUS.

Iodureti potassii sicci et puri grammata 2,482 solvantur in aquæ puræ sufficienti quantitate ut solutio volumen litri, temperatura 0°, exhibeat. Servetur in vase vitreo bene clauso.

Hæc solutio volumine æquali gas chlorici, post præactam colorationem, perfecte decoloratur.

Ut hoc liquore valor chlorureti calcis dijudicari possit, sumantur, verbi gratia, 50 centimetra liquoris chlorometrici, quibus pauxillum acidi chlorhydrici liquidi addatur; tum infundatur, guttatim et sub continua agitatione, miscela e grammate chlorureti calcis et aquæ puræ decilitro parata, donec liquor, qui prius colorem fuscum assumpserit, perfecte decolor appareat, curando ut, per operationem, aciditatem non amittat. E volumine adhibito liquoris chlorureti calcis, vis hujus substantiæ facile deducitur, quia in isto volumine 50 centimetra chlori inesse compertum erit.

LIQUOR NITRATIS ARGENTI NORMALIS.

Solvantur nitratis argenti fusi 625 milligrammata in aquæ puræ quantitate congrua ut solutio decimæ litri parti respondeat. Servetur, loco obscuro, in vase vitreo apte clauso.

Hujus solutionis centilitrum unum requiritur ad perfectam præcipitationem unius centigrammatis acidi cyanhydrici puri, ideoque ad explorationem acidi cyanhydrici medicinalis adhiberi potest.

NITRAS ARGENTI SOLUTUS.

Fiat cum nitratis argenti sicci ac puri parte una et aquæ destillatæ partibus novem. A luce seclusus servetur.

NITRAS BARYTÆ SOLUTUS.

Liquor chlorureti baryi, duplo aquæ dilutus, ope liquoris carbonatis ammoniæ præcipitetur. Præcipitatum filtratione separatum, aqua destillata bene edulcoratum, in acidi nitrici dilutionis quantitate haud excedente solvatur et solutio filtrata, lege artis, in crystallos redigatur. Crystalli siccate solvantur in aquæ destillatæ partibus novem.

OXALAS AMMONIÆ SOLUTUS.

Acidum oxalicum aqua solutum cum sufficienti quantitate ammoniæ liquidæ perfecte saturatur et liquor limpidus ad crystallisationem evaporatur. Crystallorum pars una solvatur in aquæ partibus viginti novem.

Crystalli sint albæ, igne volatiles; nec a sulpho-hydrate ammonico liquido colorem alienum assumant.

PHOSPHAS SODÆ SOLUTUS.

Cum phosphatis sodæ crystallisati parte una et aquæ puræ partibus novem paratur.

POTASSA CAUSTICA SOLUTA.

SULPHAS CUPRI SOLUTUS.

Sulphatis cupri crystallisati pars una in aquæ puræ partibus novem solvatur.

SULPHAS CUPRI AMMONIACALIS SOLUTUS.

Paratur solvendo hujus salis partem unam in novem partibus aquæ puræ.

SULPHAS FERROSUS SOLUTUS.

Sulphatis ferrosi crystallisati puri pars una in aquæ puræ fervidæ partibus novem solvatur. Fiat solutio ex tempore.

SULPHAS MAGNESIÆ SOLUTUS.

Cum sulphatis magnesiæ depurati parte una et aquæ destillatæ partibus novem paratur.

Liquore oxalatis ammoniæ non turbetur.

SULPHAS SODÆ SOLUTUS.

Sulphatis sodæ depurati pars una solvatur in aquæ puræ partibus novem.

SULPHO-HYDRAS AMMONICUS SOLUTUS.

Gas hydrosulphuratum ducatur per tubulum vitreum in liquorem ammoniæ causticæ bene refrigeratum, donec nil amplius absorbeatur. Servetur in lagunculis plenis, arcte clausis, loco obscuro et frigido.

Sit limpidus, plane volatilis; affuso acido sulphurico vix lactescat, sed gas hydrosulphuratum copiose emittat. Liquorem sulphatis magnesiæ non præcipitet.

TINCTURA GALLARUM.

Macerentur per triduum Gallæ contusæ cum alcoholis rectificati sextuplo, subinde agitando; dein filtretur liquor.

NOTA. Tincturæ Gallarum substitui potest solutio acidi tannici, aquæ partibus viginti soluti, cui additur ætheris pars una ad liquorem servandum.

CUPRUM, FERRUM ET ZINCUM.

Serventur hæc metalla in lamellis nitentibus, vase sicco et clauso, in quo fragmenta calcis vivæ, charta leviter involuta, deponi possunt, ut humiditas, qua metallorum oxydatio promovetur, avertatur.